DE

RHEUMATISMO CALIDO

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

JOANNES CHRIST. WITTZACK
HALENSIS

OPPONENTIBUS:
E. W. HERZOG, DR. MED.
L. ROTHMANN, MED. DD.
E. GABLER, MED. CAND.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

FRATRI

DILECTISSIMO SUAVISSIMOQUE

J. Ch. Aug. WITTZACK

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, PHYSICO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

Prooemium.

Quum hic illic disquirerem, quid argumenti ad spe-
imen inaugurale conscribendum desumerem, maxime
norbi historia mihi placuit, quem auctores rheumatis-
ni calidi, acuti, seu febrilis nomine insignem fecerunt.
)uae potissimum res me impulerunt, ut circa hanc
nateriam versarer; primum enim ante aliquot annos
n nosocomio caritatis berolinensi, duce Ill. Horn,
heumatismi species gradusque diversissimos observavi,
eorumque medelam vidi, deinde rheumatismus me ip-
um per quatuor hebdomadas inimicissime discrucia-
vit, depositaque indole febrili damna intulit, quibus
etianmum divexor.

Tametsi haec eventa tum habiliorem tum paratio-
rem me reddere videantur, ut, quantum possim, ad
cognoscendam rheumatismi naturam, praedictionem et
nedelam conferam, probe tamen intelligo, quantae
lifficultates mihi obtrudantur, quum dissensio medico-
rum, tam antiquiorum quam recentiorum, circa proxi-
nam causam atque curam huius morbi haud exigua

sit. Multum igitur abest, ut controversias illas, rheumatismi indole curatius dilucidata, per me dirimi posse existimem, siquidem vires meas tenuiores esse scio, quam ut huic provinciae sufficiant.

Quum itaque mea ipsius experientia, quam exilem esse fateor, et observationes a me institutae vix et ne vix quidem satis amplae mihi videantur, ad causam proximam rheumatismi curationemque illustrandam, nihil vituperii me suscepturum esse confido, si praestantissimorum medicorum effata recenseam, atque inter se comparem, quo facilius meam ipsius opinionem interponere possim. Morbos etiam rheumatismo similes breviter delibabo, auctorumque nomina subiiciam.

Quum vero mens iuvenilis facillime erroribus irretiatur, fieri interdum potuit, ut in hocce opusculo quaedam veritati minus consentanea proferrem, quae ut excusentur, lectores benevolos enixe rogatos velim.

Communia quaedam de rheumatismo calido eiusque historia.

Licet rheumatismus acutus frequentissimus, saepeque tam levis est, ut omni periculo vacare putetur, summam tamen medicorum attentionem curamque desiderat. Quodsi ab eius frequentia, specieque fallaci, quam induit, discedas, tanto magis indoles seu causa proxima, medendi ratio, nec non opiniones de sede et diagnosi eius exactissima disquisitione indigent. Iam symptomata rheumatismi, si nimium iis confidas, confusioni favent, quippe quae nullo in morbo tam contraria sunt atque tam parum specifici offerunt, ut nihil fere ad stabiliendam diagnosin ab iis desumi possit. In his etiam ratio quaerenda videtur, quod morbus iste, quem rheumatismum vocabant, per longius intervallum temporis incognitus maneret, et recentiori demum aevo, quo causae praedisponentes et occasionales curatius investigabantur, faciliorem diagnosin admitteret. Nihilominus diversae medicorum sententiae

obstant, praesertim si rheumatismi cum arthritide necessitudinem intuearis. Nondum enim controversia est composita, an uterque morbus unus idemque sit, an differat, et quaenam potissimum discrimina habeamus. Atvero iam vox rheumatismus, a graeco verbo ῥέω, luculenter indicat, differentiam essentialem rheumatismum inter et arthritidem ponendam esse, licet morbus noster antiquiori aetate non plane incognitus fuisse videtur, licet veteriores medici magis arthriticas affectiones hocce nomine significabant, et perfectam rheumatismi notitiam nondum conquisiverant, siquidem iste morbus saeculo demum septimo et decimo morborum numero interserebatur, id quod effata multifaria contestantur. Etenim Cel. de Latour in commentariolo de rheumatismo, iam Hippocrati, ait, et Aretaeo rheumatismum quidem cognitum fuisse, sed arthritidis nomine descriptum esse. Quum fines huius dissertatiunculae angusti sint, fontesque me deficiant, e quibus historiam rheumatismi haurire possim, virorum in litteris versatiorum studio atque operae hancce materiam commendo, nominaque eorum adiicio, qui libros praestantiores super hoc morbo conscripserunt.

Th. Sydenham Op. p. 344 seq. 732.

Maxim. Stoll. Ratio medendi p. III. p. 122—137. V. 420.

L. F. B. Lentin. Memorabilia p. 122.

L. F. B. Lentin, in Hufeland Iourn. f. pr. Arzeneik. Bd. 1. p. 161.

De Latour jun., Versuch über den Rheumatismus, aus dem Franz. übers. von Chr. Fischer 1806.

G. L. Thaden vom Rheumat. u. Gicht. Erl. 1804.

G. N. Thomann in Röschlaubs Magaz. d. H. Bd. 2. St. 3.

L. G. Vogel Handb. d. pr. Arzneiwiss. 1789.

G. A. Richter, Spec. Therapie. Bd. 3. p. 1. 1817.

W. A. Haase üb. Erk. und Kur der chronischen Krankhh. Bd. 2. p. 336.

Symptomata et diagnosis rheumatismi.

Omnes corporis humani partes, nervis vasisque sanguiferis instructae, rheumatismo obnoxiae sunt. Utplurimum morbus sine prodromis incursat, saepeque ab initio corpora robusta, iuvenilia summa cum violentia adgreditur. Prodromi, si qui sunt, gravitate et languore artuum significantur. Plerumque rheumatismus febrilis doloribus partium adfectarum, intensiori aut mitiori febre coniunctis, tensivis, lancinantibus, distrahentibus, ardentibus, lectuli calore et temperiei vicissitudine augescentibus, sese expromit, qui exceptis iis exemplis, in quibus rheumatismus iudice 1) Stoerckio in interioribus ossis membranis residet, quovis tactu exasperantur, vel cum sensatione aurae per artum rapide discurrentis combinantur. Quo plures corporis partes rheumatismo subiguntur, eo magis sensilitas totius organismi intenditur. Insimul partium laborantium functiones disturbantur, earumque rigor et immobilitas inducuntur. Motu artuum adfectorum levissimo dolores mirum in modum exaugentur, imo

---

1) Stoerks medic. Analen. 2tes St. p. 124.

tegumenta tenuissima, ambulatio circumstantium per conclave, accessus eorum ad lectulum, quilibet motus aeris vehementior, omnisque strepitus aegrotum offendunt. Corporis situs sine atrocissimis doloribus ne unguem latum quidem mutari potest, praesertim si scapulae, dorsum, femora atque crura rheumatismo obnoxia sunt. Utplurimum doloribus tumor calidus partium adfectarum supervenit, qui vel cum dolore orditur, vel hoc iam aliquamdiu protracto subnascitur. Tumor iste, qui magis partes musculares quam articulos occupat, elasticus, rubicundior cute reliqua, tensus atque calidus est, nec non diutius quam dolores persistit, quippe qui celerrime, nonnunquam fulminis instar, ab uno loco ad alterum feruntur. Tumore exorto levamen dolorum contingere solet, utique, si superficies tumoris humorem viscidum exhalat, quo affectio topica, tanquam crisi, iudicari videtur. Dolores tumoribus destituti maiorem plerumque gradum assequuntur. Quodsi vagantur, quod haud raro evenit, facillime ad nobiliores partes v. c. ad caput incumbunt, affectionesque spasticas movent, uti tremorem spasmodicum musculorum laborantium, praecipue fibrarum tendinearum, pulsationem harum partium, subinde spasmos continuos, imo hallucinationes sensuum, tum internorum tum externorum, imaginationis diminutionem etc.

Febris rheumatismum concomitans, variam expromit indolem, magis minusve tamen, praesertim si corpora iuniora sunt, valida et plethorica, ad synochae similitudinem accedit, prout inflammatio rheumatica ipsa characterem synochae intensioris vel mitioris prae

se fert. Inter initia eius horrores validiores et frigus, cum doloribus musculorum lancinantibus, qui tamen dies aliquot post febrem interdum incursant, et cum ea aequabilem faciunt gressum, animadvertuntur. Frigori calor et ariditas, pulsus frequens, durus, plenus, nonnunquam mollis, succedit. Secretiones suspensae, lingua arida, muco oblimata, sitis ingens, excretio alvina suppressa est. Urina parca, ignea, rubra, raro nubila, saepe crystallos deiicit. Cutis vel sicca est et ardens, vel sudoribus madet, quibus autem nihil levaminis inducitur. Aegrotus irrequietus et insomnis est, sanguis in fastigio morbi, vel adeo ab eius initio crustam inflammatoriam exhibet. Febris si typum respicias, plerumque continuam remittentem aemulatur, imo si atrocissimus morbus est, in continuam continentem abit. Febris aliaeque affectiones topicae sub vesperam exacerbantur, et per noctem prorogantur; subinde febris post tertiam quartamque noctem insigniter exasperatur, et circa hanc periodum rheumatismus facillime locum mutare consuevit. Sub matutinum tempus remissio, quandoque etiam intermissio contingit. Febris mora pariter differt, etenim quo propior synochae, eo brevior esse solet; hinc intra dies quinque, septem, vel unum et viginti terminatur. Si crisis imperfecta evenit, febris quidem per intervalla descripta disparet, topicae autem affectiones resident, et rheumatismus acutus vagusque in chronicum et fixum vertitur. Quo rapidior morbi cursus, eo manifestiores sunt crises, quae per urinam potissimum contingunt, eique sedimentum lateritium rubrum subinde albidum, luteumve impertiunt. Verum

etiam sudores profusi crisin perficiunt, imo nonnunquam exanthema miliare circa internam femoris paginam, vel in ipsa parte adfecta, aut in vicinia eius ortum, criticum esse dicitur; mihi tamen exanthema illud symptomaticum potius quam criticum videtur. Rarius per diarrhoeam aut ptyalismum crisis agitur. Quanto tardius rheumatismus decurrit, tanto exiliores iudicationes facit, tantoque facilius in rheumatismum chronicum vel alia in vitia vertitur.

Differentiae rheumatismum calidum inter similesque morbos.

Inflammationes asthenicas inter et rheumatismum vix aliud discrimen existit, quam quod illae multiplices exitus experiri possunt, hic vero ob continuum humorum affluxum ad unam alteramve partem, post aliquod tempus laxitatem, et laticis aquosi vel lymphatici profusionem inducit.

Cum incendiis erysipelaceis rheumatismus acutus saepe summam similitudinem offert, praeprimis si sedem respicias, verum tamen rheumatismus exiliorem rapiditatem, ergo latiorem doloris circuitum portendit. Rheumatismus acutus et chronicus eo potissimum discrepant, quod acutus febre stipatur, celeriorem absolvit cursum, crisibusque manifestis iudicatur. Rheumatismus chronicus plerumque singulis partibus limitatur, sedem fixam tenet, et minorem rubedinem tumoremque ciet, verumtamen dolores haud mitiores esse solent. Discrimen rheumatismi acuti ab arthritide praesertim in eo est, quod ille potentiis externis ma-

nifestis, haec autem sine causis evidentibus, increscente opportunitate, evolvitur. Rheumatismus partes musculares, arthritis autem articulos magis offendit; rheumatismus interdum promptissime remediis coercetur, quae arthritide laborantes haud sustinent; generatim arthritis nulli cedit medicamento, cuius effectus fugacior est.

Divisio.

Rheumatismus morbum simplicem repraesentat, ideoque divisionibus non indiget. Si quis vero plures species distinguere velit, dividendi principium vel ab energia virium vitalium, vel ab inanitione earum petatur, et rheumatismus in sthenicum atque asthenicum distribuatur. Divisiones rheumatismi in nervosum, gastricum etc. quas nonnulli auctores proposuerunt, tum demum agnoscendae sunt, cum inter illas affectiones et rheumatismum commercium quoddam causale obtinet. Proinde rheumatismum symptomaticum existere dubito; e contrario autem persuasum habeo, huncce morbum semper esse idiopathicum, causisque propriis moveri. Eandem ob rationem rheumatismus spurius, quem dicunt, non datur, v. c. scrofulosus, syphiliticus, cuius mentionem auctores quidam faciunt. Etiamsi enim fortuita haecce complicatio existat, duplex tamen morbus in uno eodemque corpore deprehenditur. Haud firmiori fundamento ii utuntur, qui divisionem rheumatismi secundum partes, quas adoritur, stabilire conantur. Quum vero per experi-

entiam constet, hancce rheumatismi distributionem non omni usu destitui, breviter eam percensebo.

Quod si dolor rheumaticus lumbos aut coxas adgreditur, Lumbago nuncupatur. Hicce dolor non solum atrocissimus sed etiam, si Homio 1) fidem habeamus, epidemicus est. Home partes cutaneas et musculares, aut psoam musculum lumbagini assignat. Quandoque dolor extremum apicem ossis sacri obsidet, et hinc inde per finitimas partes, uti dorsum, coxas et femora dissipatur, ac nomine Spasmi fixi Paracelsi insignis est.

Speciebus rheumatismi dolorificentissimis atque pertinacissimis Ischias, sive malum ischiadicum interponendum est, cuius sedes aut femoris articulationi aut partibus ei proximis inhaeret; teste Cotunnio 2) autem vaginis nervorum inest. Quodsi dolor nervi ischiadici cursum exactissime sequitur, Cotunnio Ischias nervosa postica vocatur, sin vero internam femoris faciem, iuxta nervi cruralis cursum, tenet, Ischias nervosa antica dicitur. Quodsi dolor alterutrum faciei latus vel utrumque obsidet, auctores Prosopalgiam Fothergilli dicunt; si denique rheumatismus externa pectoris tegumenta perstringit 3) Boerhavio Pleuritis spuria nuncupatur. Affectiones rheumaticae, hypochondrium dextrum praesertim occupantes 4) Hoffmannio Hepatitis spuria, Sauvagesio He-

---

1) Princip. med. Ed. 3. p. 168.

2) Common. de ischiadc nervosa. 1770.

3) Aphor. 878.

4) Opp. Ed. T. II. §. 2. 7.

patitis muscularis vocantur. Quae ad divisionem rheumatismi in acutum chronicumque pertinent, supra comprehensa sunt.

Rheumatismi exitus.

Rheumatismus acutus, quemadmodum alii morbi acuti, triplicem exitum sortiri potest:

1. Discussionem, sive valetudinis redintegrationem, quae plerumque evacuationibus criticis, urinae hypostasi, sudore, exanthematibus, aliisve inducitur. Prosperum hunc eventum suspicari licet, si rheumatismus acutus omnibus complicationibus vacat, corpora robusta validaque tenet, tempestive dignoscitur, riteque curatur. Si discussio imminet, febris exacerbationes mitescunt, dolor, tumor, omniaque symptomata pathognomica insimul decrescunt, partium affectarum mobilitas recuperatur, nihilque nisi debilitatis sensatio per aliquantum temporis residet, dein vero evanescit.

2. Rheumatismus acutus in alios morbos abire potest, quorum frequentissimus rheumatismus chronicus esse consuevit. Quod si futurum est, febris desinit, aut horrore leviori sese manifestat, qui sub vesperam praeprimis incursat, rubor inflammatorius disparet, dolor autem, fixis sedibus positis, perseverat, et nunc intensior nunc blandior est. Praeter hos exitus nonnunquam rigiditas diuturna, debilitas, imo paralysis partium laborantium subnascitur, utique, si morbus ab initio vel parum dignoscebatur, vel despiciebatur, ideoque perperam curabatur, aut si inter medelam, licet idoneam, iniuriae diversae aegrotum offendebant.

In suppurationem rheumatismus acutus rarissime, vel tum demum vertitur, cum febris veram synocham repraesentat, et topica affectio summum inflammationis fastigium assequitur, aut si medela antiphlogistica paulo negligentius administratur. Saepius, si rheumatismus membro alicui diutius inhaeret, exsudationes, tumoresque ingentes oedematosi nascuntur, qui fluctuationem exhibent, et patefacti multum lymphae viscidae profundunt. Profluvium hocce diutius protrahi, partesque finitimas magnopere infestare solet.

Reliquis rheumatismi exitibus anchyloses, indurationes Fungusque articulorum adnumerentur necesse est, quibus ulcera pertinacia et caries inducuntur, demum vero febres hecticae et cachexiae, prae ceteris hydropes superveniunt.

3. Tertius rheumatismi exitus in mortem est, quippe quae vel febris violentia, vel repercussione vitii localis ad nobiliores partes efficitur.

Aetiologia.

Quod causam proximam rheumatismi attinet, in connubio causarum praedisponentium et occasionalium quaerendam esse persuasum habeo, id quod de aliis quoque morbis valet. Sententiae auctorum celeberrimorum circa causam proximam huiusce morbi promulgatae luculenter contestantur, quantum difficultatis offeratur, si quis eam dilucidare moliatur.

Quum causa proxima pariter ac indoles interna, qua rheumatica passio gignitur, ad hunc usque diem multis tenebris offendatur, optimum factu videtur, si opiniones auctorum veritati proximas recenseam,

deque ratiocinia ducam, quae rheumatismi naturae opius nos ferant. Antiquiores medici, qui morbos nnes ab humorum corruptelis derivandos esse iudicant, causam rheumatismi proximam in acre quodam mphae collocandam esse, persuasum habuerunt.

1. Cullen, praeceptor et antesignanus Brownii iecta pathologia humorali, et solidari in eius locum bstituta, causam proximam in irritatione et affecone nervorum posuit. Braun denique causam husce morbi in diathesi sthenica et asthenica quaerenm autumavit. Quam parum theoria novissimo loco osita rheumatismo explicando faveat, per se patet, um assertum illud nonnisi ad morbi constitutionem ferri possit.

Alii auctores, tam veterioris quam recentioris vi, e quibus Richter 2) notatu dignus est, materiam eculiarem corpori insitam, rheumatismi causam promam continere asserunt, eamque dyscrasicam, vel ieumaticam vocant. Materiam rheumaticam perspibili retento consistere, processumque morbificum iusari arbitrantur, qui rheumatismi imagine manifestur. Haec opinio, licet a multis recentiorum mediorum in verissimis habita, ab aliis haud minus ilistribus aut oblivioni tradita, vel merito impugnata it. Quantum probabilitatis demum causae remoties huic sententiae consilient, praeprimis si mediteur, cutem organis secretoriis et excretoriis adiudi-

1) Anfangsgr. d. pract. Arzneik. Bd. 1. p. 483.
2) Specielle Therapie Bd. 2. p. 1.

candum esse, cuius secretio normali in statu nonnisi madore et lubricitate sese expromat, ideoque vapores subtilitatis gratia oculis nostris parum obiiciat, neutiquam tamen evaporatio disturbata, quamvis multis molestiis iuncta, veram rheumatismi naturam sistere potest. Illi quidem sensentiae nonnihil auctoritatis ex eo redundat, quod omnis mutatio temperiei insolita, praesertim anni tempestatum vicissitudo, dies pluvii atque nubili rheumatismum inducere valent. Ad comprobanda haecce dicta, superioris sententiae vindices rheumatismi naturam extra omnem dubitionis aleam poni opinantur, si perfrigerio exorto dolor partium muscularium existat. Diffitendum quidem non est, si corpus aestuans frigori obiiciatur, transpirationem cutis coerceri, doloremque rheumaticum enasci. Quis vero sibi persuadeat, suppressam hancce perspirationem doloris rheumatici causam continere? Transpiratio cutanea, perinde ac aliae secretiones processum vitae organicae repraesentat, cui cutis praefecta est, et quamdiu integritas huiusce organi tuta praestatur, functiones eius rite succedant necesse est. Sin vero cutis in rheumatismo normae non penitus congruit, id quod ob alterationem nervorum ei insitorum fieri non potest, vis vitalis turbata sic manifestatur, ut semper fere transpiratio cutis adaugeatur, qua perspirabilis retenti existentia refutatur. Quodsi materiam rheumaticam corpori inesse arbitramur, varia rheumatismi phaenomena, v. c. repercussionem et fugacitatem dolorum explicari posse, vindices asseverant. Iam supra posui, neminem illius materiae migrationem evincere, vel rheumatismi pervagationes ex ea deducere posse,

quidem dolor fulminis ad instar aliam atque aliam rtem adoritur, morbique repercussio legibus antanismi innititur. Etiamsi materiam rheumaticam agoscere velimus, tamen eius migratio per corpus omno inexplicabilis est, legesque organismi cum hoc ocessu nullatenus conciliari possunt.

Medicamenta rheumatismo curando idonea, diaoreticis maximam partem interponenda, indolem orbi ab auctoribus superioribus vindicatam, et efficiam suam sudoribus saepe criticis expromere dicunr. Etiamsi vero largiamur, causam proximam rheuatismi remediis illis exstingui, eaque sublata sympmata quoque compesci, quibus perspiratio retenta iudicanda est, nihil tamen lucis inde profluit: Quos enim morbus administrata diaphoresi coercetur, l inter ipsos sudores, qui critici vocantur, exaspeur, quod equidem compertum habeo.

Iam ab initiis morbi sudoribus profusioribus, nunc ntius nunc brevius continentibus, partim per diaphoica partim citra ea provocatis, corpus meum intabatur, nec unquam, quantum memini, levamen lorum et reliquorum symptomatum experiebatur. ulto minus evacuationem materiae peccantis rheumaae, quam dicunt, observavi, nisi ea forsan sudous viscidis inhaesit, quos saepenumero sine levamine tinui, et etiamnum sustineo. Argumentis eorum i materiae rheumaticae existentiam ex usu salutari mediorum sudorificorum coniiciunt, observationes nituntur aliorum auctorum, qui rheumaticas affecnes post repercussos morbos cutaneos, exanthemata

etc. ortas viderunt 1). Richter istiusmodi symptomata post erysipelas 2) Lentinus post scabiem, herpetem virusque syphiliticum repercussum observavit. Tametsi affectiones istae parum ad rem pertineant, quippe quae communi nomine rheumatismi comprehenduntur, ideoque longe alias causas, quam rheumatismus verus agnoscunt, phaenomena tamen, exanthematum repercussionem subsequta, absque materia illa singulari explicari possunt. Omnino quidem symptomata morbifica accedentibus causis occasionalibus, id est suppressa transpiratione cutis uberrima, subnasci queunt, quorum autem ratio in eo esse videtur, quod instrumenta perspirationi dicata morbo repercusso ita alterantur et labefactantur, ut iniuriis tanto facilius pateant, et in eum coniiciantur statum qui non solum functiones eorum disturbat, verum etiam per consensum nervos cutaneos afficit, et rheumatismi effigiem constituit. Simulatque medicamenta cuti offeruntur, quae eius functionem confirmant, irritant et ad normam reducunt, secretio augeatur necesse est. Haec secretio adaucta num critica nominari possit, nec ne, in suspenso est, siquidem, ut supra monuimus, rheumatismo detenti saepe sudoribus diffluunt, et tantum abest, ut levamen sentiant, aut sanentur, ut omnia symptomata increscant atque intendantur. Quo tandem modo haec explicanda erunt, si perspiratio suppressa causam proximam rheumatismi continet? Denique alii, nominatim

---

1) Medicinisch. und chyrurgische Beobachtungen.

2) Beobachtung. einiger. Kranh. u. s. w. p. 134.

¹) Richter, disertis verbis asserunt, frigus, si rheu-
matismum producat, nihil efficere, nisi poros cutaneos spasmo constringere, quo fiat, ut transpirationi iter praecludatur. Quoties vero spasmi, his illis causis excitati, corpus opprimunt, qui nihil nisi symptomata status abnormis interni systematis sensibilis exhibent, quibus liquet, materiam illam retentam pro causa remota habendam esse. Etiamsi spasmum illum cuti adscribamus, nihil esse videtur, nisi anomalia illa nervorum cutaneorum, quae actione eorum perversa tanquam spasmus comparet, et pro symptomate, quemadmodum spasmus clonicus epilepsiae additus, habenda est. 2) Selle 3) Sydenham aliique quaestionem nobis obtrudi dicunt, quidni perspirationis suppressio quaelibet dolorem rheumaticum inducat, cur alii homines gravissimum refrigerium experti, rheumatismo vacent, alii vero, leviori frigori obiecti, protinus eo afficiantur, cur demum una eademque causa duobus in hominibus, pariter sanis, non semper rheumatismum, sed modo catarrhum, modo erysipelas, modo dysenteriam proferat! Auctores, perspirabile retentum vindicantes, materiam aiunt specificam citra dubium retineri. Quod si est, nonne materies illa sudoribus evacuari, uti supra commonefecimus, aegrotique affectionibus rheumaticis liberari debent? Qnanto minus igitur materies illa potest evinci, tanto minus lucis diaphoreseos gradus causae proximae affundere potest.

1) Speeielle Theapia Bd. 2 p. 18.
2) Rudimenta pyretologiae p. 122.
3) Opp. Ed. p. 273.

Alii, verbi causa 1) Vogel, causam proximam rheumatismi in stagnatione humorum, per vasa serosa lymphaticaque circumeuntium, nunc rubrorum nunc aquosorum, collocant, quibus pressus et stimulus efficiatur, dolorque nerorum moveatur. Quum acrimonia rheumatica pro causa proxima rheumatismi agnosci nequeat, multo minus eorum sententiae adstipulandum est, qui stagnationes liquorum serosorum atqne lymphaticorum subesse putant, etenim humores illi, etiamsi deprehendantur, inflammationis praegressae effectus sunt. Quomodo e stagnationibus per corpus diffusis dolor rheumaticus explicari potest? an pressu nervorum, quem latices illi ciere dicuntur? vix et ne vix quidem! ceteroquin haec non sufficiunt ad explicandum dolorem, quum articulus, aut maior corporis pars, ligatura quadam adeo constringi possit, ut multo violentior pressus, quam stagnationibus inducatur, neque dolor rheumaticus exoriatur. Quod si iis fides habenda sit, qui symptomata rheumatismi e materiae stagnantis indole caustica, vel efficacia eius mechanica ad nervos deducunt, tamen causa proxima illis effatis non dilucidatur. Nervi scilicet materia stagnante irritentur necessa est, priusquam rheumatismus nascatur, quapropter causam illam quidem remotam, nequaquam proximam dicere licet. Quidni omnes stagnationes in systemate lymphatico, aut portarum vena, rheumatismi phenomena proferunt, quidni potissimum in hydrope anasarca, in quo materia liquida telae cellulari,

---

1) Handbuch 2t. Th. p. 121.

uti subiectae, luculenter inest? certe nullus medicus, nateriam illam iuxta leges chemicas causticam exstiisse, vel nervos adeo irritasse et offendisse, ut rheunatismus aboritur, observavit.

Licet plures sententiae de rheumatismi indole a variis auctoribus propositae sint, tamen ob temporis ngustias recensere omnes nequeo, ideoque pauca adiciam, quae naturae huiusce morbi congruere videntur.

Ex antiquioribus medicis praesertim 1) Sydenham, 2) Selle, 3) Stoll et 4) Lentin, e recentioribus 5) Haase le illustrando rheumatismo bene meruerunt, quippe qui causam eius proximam in affectione inflammatoria nusculorum, aponeurosium, vaginarum et membranarum collocant, cui opinioni etiam curandi ratio a veerioribus administrata, nimirum antiphlogistica, favere videtur. Reil aliique rheumatismum affectionibus nervosis interponunt, siquidem nervosa symptomata sese prodere soleant. Reil, si causa proxima, inquit omnium morborum in abnormi quodam statu organi ffecti ipsius quaerenda est, symptomata etiam, rheunatismo calido propria, morbosam nervorum alterationem portendere videntur. Signa pathognomonica, quibus Reil 6) nervorum morbos insignire contendit, ab

---

1) Op. T. IV. p. 170—344.
2) Rudimenta pyretologiae p. 146.
3) Ratio medendi p. III. p. 122. V. p. 420.
4) Memorab. p. 122. seq.
5) Erkenntniss und Kur d. chr. Krankheiten.
6) Fieberlehre Bd. 4. p. 43—44.

rheumatismo calido simplici haud absunt, quippe quae sensibilitate et perceptione abnormi, efficacia perversa circa musculorum motus, et sympathia anomala cernuntur. Ubi haec symptomata prostant, causa proxima nervis insideat necesse est. E phaenomenis novissime recensitis, quae nunquam non rheumatismum concomitantur, nominatim e dolore, nervorum affectionem subesse liquet, quam quidem affectionem inflammatoriae indolis esse, reliqua rheumatismi symptomata abunde contestantur. Propterea nullus dubito quin inflammatio vera vasculis nervorum cutaneorum insit; utpote quae suis symptomatibus, dolore, rubore, calore, tendore, duritie atque tumore luculenter se expromit. Dolor nervis affectae partis inhaerens, iisque se manifestans, omnium symptomatum rheumatismum comitantium princeps est. Dolor unusquisque a vita alterata auctaque nervorum pendet, sed quoad indolem, alius in inflammatione alius in spasmo adparet, ideoque, licet nervis semper insideat, systemate sensibili et irritabili per vices excitatur. Quum inflammatio omnis, si symptomatibus confidamus vitalem adauctum processum sistat, nervique vasis sanguiferis innumerabilibus, tum pulpam tum, neurimen adeuntibus, intertexantur, nervi offendantur necesse est, simulatque vascula illa aegrotant; vitamque nervorum, vasorum vitae intime nuptam, adaugeri oportet, quibus fit, ut nervi irritati sensationem dolorificam prodant, quam doloris inflammatorii nomine designamus. Qoudsi inflammatio, seu vita nervorum adaucta, ad fastigium altius evehitur, febris nascitur, dolorque tensivus evadit. Haec sensatio dolorifica, interdum vix de-

scribenda, non nisi ab inflammatorio statu nervorum ipsorum originem ducere potest, quum, uti ipse expertus sum, motus levissimus, imo consilium partem aegrotam commovendi, dolorem illum quam maxime intendat, et fulguris more per nervos affectos ad ultimos usque fines propaget.

Rubor. Quemadmodum in aliis inflammationibus, ita etiam in rheumatismo pars offensa rubescit, ob congestionem portendit sanguinis, qui vascula minima adimplet; ob hunc sanguinis maiorem affluxum vasa quoque secernentia promptius et alacrius agunt, lymphamque serosam edunt, qua pars aegrota madescit.

Tumor. Hoc symptoma inflammationem nervorum cutaneorum rheumatismi causam proximam continere maxime confirmat, quippe quod, partibus tantum inflammatoriis inhaerens, a materie alicubi stagnante vix derivari potest. Quum, uti iam possuimus, arteriae partium inflammatarum maiorem sanguinis copiam vehant, in rheumatismo eadem est ratio, nam per oscillationem arteriarum graviorem vasa exhalantia plus secernunt, quam vasis lymphaticis absorberi possit, et pro halitu aquoso serum genuinum in vasa exhalantia transmittitur, quod stagnans telam cellularem expandit, tumoremque facit. Idem in pneumonia neglecta, in exsudationem versa, evenire videmus. Quod si in cute fit, effectum letiferum praestare non solet, siquidem cutis ad vitam sustentandam minoris momenti est, quam pulmones.

Neque minus alia symptomata huic sententiae favent, exempli gratia pervagatio rheumatismi, quippe quae non migrationi materiae cuiusdam ab uno loco

ad alterum, sed nervis ipsis innititur. Similis rheumatismi chronici ratio est, etenim si acutus in hunc transit, febris vascularis paulatim disparet, morbusque forsan nervosam indolem adsciscit. Hoc in casu mixtio nervorum abnormis, vitaque alterata eorum diutius persistit, quod vel ab offensa nervorum graviori, vel a reversionibus crebrioribus pendere potest. Quis denique paralysin rheumaticam, rheumatismo supertistem, explicare possit, cuius ratio neque in materia specifica, neque in stagnatione, sed in ipsis nervis quaerenda est.

Quum temporis limites strictius mihi circumscribantur, ab aliis explicationibus abstineo, attamen e dictis coniectari posse confido, causam proximam rheumatismi acuti in statu nervorum abnormi, supra memorato, delitescere, eiusque causam remotam ab inflammatione vasorum sanguiferorum nervos intrantium pendere. Hinc dolor rheumaticus, tanquam palmarium symptoma, utramque affectionem denotat, aeque ac spasmus clonicus, cuius proxima causa, si auctoribus adstipulamur, pariter abnormi nervorum indoli innititur.

Causae disponentes atque occasionales.

Si causas rheumatismi remotas indagamus, modo disponentes modo occasionales, nunc in constitutione corporis ipsa positas, nnnc vitae ratione acquisitas videmus.

Licet rheumatismus dispositionem exiliorem agnoscit, quam morbus affinis, nempe arthritis, quippe

quae sanissimum quemque interdum subito adoritur, neutiquam tamen dispositio prorsus infitianda est. Quidquid cutem sensiliorem reddit, dispositionem rheumaticam inducit. Praeter corporis infirmitatem aetas iuvenilis et vegeta, multa irritabilitate ac sensilitate conspicua, aeris impatientia ob regimen calidius in consuetudinem adductum, desidium perpetuum in conclavibus, vestitus et cubicula nimis calida, aliaque huc pertinent. Porro tempestas variabilis, nunc aestuosa, nunc frigida, quapropter rheumatismus in zonis temperatis, quam in torrida et frigidis observatur.

Si victum respicias, abusus potuum acrium, aromaticorum et calefacientium, imo nimium cibi animalis ad rheumatismum corpus opportunum reddunt; neque minus omnes labores, cum temperiei mutationibus coniuncti, huc pertinent, eamque ob causam nautae et piscatores huic morbo quam maxime obnoxii sunt. Causis occasionalibus prae ceteris frigus aestuanti corpori admotum, temperiei mutatio, coeli nubili, pluvii frigidique vicissitudo interponenda est; hac ex causa milites, die noctuque iniuriis illis patentes, rheumatismo frequentissime subiguntur.

Prognosis.

Quodsi rheumatismus acutus haud negligitur, sed protinus ab initio rite dignoscitur, exacteque curatur, minime periculosis morbis adiudicandus est. Haec praeprimis ad eum rheumatismum spectant, qui synocha vera stipatur, etenim iudicatio eius ut supra monuimus, plerumque intra diem septimum, vel de-

cimum quartum, vel primum et vicesimum urina et sudoribus contingit. In ancipiti res est, si rheumatismus cum febre asthenica typhosa consociatur, etenim si negligitur, vel perperam curatur, febris facillime in typhum genuinum abit, aut rheumatismus, metastasibus ad nobiliora organa factis v. c. pneumonia, asthmate etc. se manifestat, vel denique in chronicum vertitur, ex quo serius ocius structurae vitia nascuntur, quae omnem medelam saepe respuunt. Debilitas etiam et rigor partium aegrotarum huc pertinent; neque non hydrarthrus, articulorum fungi, lipomata, sarcomata, imo adeo tumor et degeneratio testiculorum, quam 1) Theden observavit, variae turbae systematis reproductivi exoriuntur. Demum praedictio ad sedem rheumatismi diversimodi se conformat.

M e d e l a.

Ut morbus non in praesens tantum extinguatur, verum etiam radices eius funditus evellantur, et reversiones impediantur, tribus medendi indicationibus satisfiat necesse est.

1. Processus alienus, cui innititur rheumatismus compescatur.

2. Causae remotae, quae reversionibus ansam praebere possint, vel tollantur, vel procul arceantur.

3. Morbi secundarii, ex hoc vitio interdum oriundi, caveantur, aut exorti submoveantur.

---

1) neue Bemerkungen Seite 17 — 133.

In curando rheumatismo proxime naturae eius consideranda, nec non febris investiganda est', quippe quae, uti in omnibus inflammationibus, partes irritabiles obsidentibus, synochae indolem prae se gerere consuevit, Ubi igitur febris synochica vehementior, doloresque inflammatorii ingentes existunt, antiphlogisticis validioribus, praesertim sanguinis missionibus, tum universis tum topicis, locus est. Iuxta sanguinis detractiones nitrum laudatur cuius doses vel maiores pro inflammationis atrocitate exhibentur; item sal ammoniacum et natrum sulphuricum fructu salutari non destituntur. Quodsi rheumatismus procedente tempore indolem synochi aut typhi adsciscit, evacuantia et nervina egregie opitulantur. 1) Evacuantibus, nominatim emeticis, tum opus est, cum aegrotus, quod haud infrequenter accidit non solum rheumatismo, sed etiam complicatione quadam gastrica biliosa infestatur, his enim in casibus protinus inter initia adhibita et alternis diebus aliquamdiu continuata egregium usum emetica praestare, experientiae testimoniis edocti scimus. Si tubus intestinalis sordibus scatet, purgantia leviora proficua sunt, verumtamen usus eorum cautam postulat manum, ne functio cutanea nimiis alvi evacuationibus comprimatur. Haud semper tamen rheumatismus remediis illis cedit, imo adeo pertinacior nonnunquam evadit, quibus in exemplis ad sulphur auratum antimonii, mercurium, Extractum aconiti, stipites dulcamarae, et Gummi guaiaci confugiendum

---

1) Neues Archiv für med. Erfahr. v. E. Horn Bd. 2 — 2tes Heft.

est. Quum omnes causae rheumatismi remotae cutis functionem vel turbent, vel plane suspendant, facile patet, medelam ab initio ita administrandam esse, ut functio sublata instauretur, in quibus pergendum quoque est, affectionibus inflammatoriis iam infractis. Hanc ob rem non improbabile est, emetica saluberrima esse, quippe quae alterata nervorum temperie quam inducunt, cutis actionem simul intendunt, vel suppressam restituunt. Sin vero his non contigit, ut rigiditas et siccitas cutis submoveantur, diaphoretica haud negligenda sunt, quorum quidem effectus pro indolis varietate aliquatenus differunt. Inter est enim an irritatio vera cutis, qua functio eius suspenditur, debellanda, an liquores diluendi, an denique natura eorum alio modo alteranda, et evacuationi adaptanda sit. Novissima praesertim ad eos spectant morbos, qui adaucta evaporatione iudicari debent, in universum igitur ad affectiones inflammatorias et febriles, in specie ad rheumatismum. Huic scopo prae ceteris fluida aquosa, tenuia, pariter ac salia neutra, aromatica leviora, similiaque satisfaciunt.

Quod morbos secundarios tam arcendos quam curandos attinet, diagnosis et medela congrua rheumatismi ipsius summi momenti est. Medicus aegrotum eatenus curet, ut eum ab iniuriis externis, quae morbum non solum exasperare, sed etiam vitia secundaria inducere possint, tutum praestet. Aegrotus vero temperiem aequabilem amet, neque calori frigorique per vices sese obiiciat. Si rheumatismus acutus magis ad chronicum vergere incipit, iis potissimum remediis

utendum est, quae systema lymphaticum valentius petunt, satisque mature nervos adgrediuntur.

Praeterea ne externa quidem localia negligenda sunt, etenim frictiones, epithemata aromatica, saluberrima sunt, neque minus innunctiones oleosorum et spirituosorum. Porro imprimis partium adfectarum involutiones panniculis laneis, aut, quod melius est, bombycino cerato opitulantur, utpote quae transpirationem blandam perpetuo sustentant; huc etiam usus rubefacientium et vesicatoriorum, perinde ac unguenti mercurialis pertinent.

Si omnia haec vel plane vel maximam partem irrita sunt, ad Electricitatem et galvanismum confugere oportet. Denique a moxa non abstinendum est, quae eatenus citam expromit efficaciam, ut dolores sat atroces minuantur, quam ob rem, in malo ischiadico moxae usus interdum egregius exstitit.

Iam nonnulla de balneorum fructu adversus rheumatismum et arthritidem subiicere liceat.

Iam ab antiquissimis temporibus inter medicos notum fuit, et etiamnum communi confirmatur experientia, balnea non solum arthritidi, sed etiam rheumatismo optime mederi, imo non morbum solum auferunt, verum etiam dispositionem radicitus evertere valent. Balneorum eadem ratio est, ac medicaminum chemico - pharmaceuticorum, quae pro morbi differentia diversimodi commendantur et administrantur. Levissima sunt pediluvia, quae vel ex aqua mera parantur, vel herbis aromaticis, aut seminibus sinapeos, cineribus, sale communi, aliisve rebus impraegnantur. Hisce balneis non raro dolores rheumatici, quorum

sedes in artubus inferioribus est tolluntur, aut saltem mitigantur,

Multo maiorem efficaciam instillationes, sive stillicidia, et imbrificationes exhibent, utpote quae omnibus rheumatismis, naturam chronicam indutis, egregie convenire dicuntur. Homines e causis rheumaticis nervorum resolutione affectos hoc modo feliciter sanatos in caritatis nosocomio observavi. Stillicida vel frigida vel calida, prout res singulares constitutae sunt, administrantur, neque infitias eundem est, vitam nervorum cutaneorum iis suscitari, maioremque ad actionem compelli.

Praeterea alia balneorum genera, tam simplicium quam mineralium, quorum adversus affectiones rheumaticas et arthriticas aliquis usus est, balnea vaporasa Rossica, quae vocantur, summam attentionem merentur. Praetermissa eorum indole et administrandi ratione, non nisi de efficacia usuque salubri, quem praestant, nonnulla adspergam. Quum in prooemio iam commonefecerim, morbum aliquem corpori meo inhaerentem, qui quidem mòrbus rheumatismum acutum, in chronicum abiturum, exhibuit, me permovisse, ut animum scribendi ad hos materiae genus adverterem, postea etiam affectiones rheumaticae tenaciores pedumque tumores me compulerunt, ut a balneis illis auxilium peterem.

Duodecies hoc balneo usus, haud in totum quidem convaleo attamen effectus salutares mihi persuaserunt, reliquias rheumatismi absque internis medicaminibus solo balneorum illorum usu profligari, integramque valetudinem mihi contingere posse.

Per illud temporis intervallum, quo hisce balneis usus sum, efficaciam eorum, idoneamque administrationem non solum in memet ipso, sed in aliis quoque graviori rheumatismo detentis, aestimare licuit. Balneum vaporosum prae aliis id commodi offert, quod omnes indicationes contrarias, uti protinus ab initio intellexi, excludit, etenim pueri undecim annorum, et adulti, partim debiles, vel rheumatismo, vel scrofulosi, imo adeo phthisi pulmonum incipiente laborantes, nec non senes, multifariis difficultatibus impediti, non solum nihil incommodi, se multum emolumenti ex eo perceperunt. Quin imo haemoptysi detentus hocce balneo, si verbis eius fides habenda est, maximo cum fructu utebatur, quod omnino mirum videri potest. Praeterea haemorrhoidarii, paralysi laborantes, aliisque morbis implicati hoc balneum adierunt, nec unquam sine refectione aliqua discesserunt. Quamvis iam prima balnei efficacia ad corpus tam valida sit, ut statim inter initia omnes secretiones, nominatim cutis perspiratio, maximopere intendantur, sanguisque summo cum impetu ad caput congeratur, nunquam tamen alios effectus exantlato balneo sensi, nisi levamen, dolorum remissionem et dormidiendi cupiditatem.

Quicunque hoc balneo cum fructu uti velit, priusquam intret, id tantum dispiciat necesse est, ut ieiunus sit. Si in balneum descendit, proximum est, ut caput aqua frigida lavet, quo fit, ut sanguinis impetus, qui tanto vehementior est, quo magis caput calori obnoxium est, coerceatur. Huic cautelae indulgeat, donec e balneo egrediatur. Calor ab initio gradam tricesimum secundum quartumve scalae Reaumu-

rianae non excedat, ne aegrotus, insolito aestu oppressus, respirare desinat, et suffocationis periculum subeat. Non semper tamen haec praecepta observare licet, quum plures semper eodem balneo utantur, iique, qui diutius in eo commorati sunt, maiori egeant calore, advenientes autem mitiorem postulent. Hoc incommodo balneum Rossicum, quod in nostra urbe est, quoque laborat, ideoque ab hominibus rei non peritis ad heroica remedia numeratur.

Calor paulatim ita augeatur, ut situla dimidia aquae frigidae silicibus candefactis superinfundatur, qui in furno, huic usui dicato, collocati sunt; multumque vaporis evolvunt. His administratis, caloreque ad gradum quadragesimum aut quadragesimum tertium scalae R. evecto, totum corpus, praesertim affectae partes, virgis fricentur, scoparum more constructis, et sapone soluto illitis. Deinde corpus aqua tepida abluatur, et egelida aliquoties perfundatur, tum per dimidium horae spatium extra hypocaustum homo versetur, et tegmentis laneis munitus recumbat, ut sudor proveniat. Qui saepius iam balneo usi sunt, maiorique temperiei adsueverunt, vel eadem repetant, vel diutius v. c. per horam unam, duasve, in hypocausto commorentur. Vidi, qui temperiem graduum quinquaginta, et quod excurrit, facile sustinerent.

Quodsi animum ad efficaciam evidentissimam horum balneorum contra rheumatismos chronicos et arthriticas affectiones attendo, neutiquam persuadere possum, vim eorum salutarem in ipso lavacro, aut in diaphoresi, et in evacuatione materiae cuiusdam rheumaticae ponendam esse. Virtutem illam potius

fricando atque caedendo adscribendam esse autumo, quum, ut antea monui, sub gradu caloris quadragesimo quinto, vel quinquagesimo administrentur. Si pensitamus, vapores antea evolutos, ob levitatem specificam, hypocausti lacunar petere, calor in superiori regione multo maior sit necesse est. Frictio ita instituatur, ut inter temperiem supra dictam vapores superna petentes ope virgarum, sapone illitarum, excipiantur, et in corpus demittantur, quibus fit, ut aegroti carbone candente, vel strictius ferro candefacto, sese tactos existiment. Frictione peracta protinus erythema efflorescit, diuque formicationis sensus residet. Ex his patet, balneis hisce Rossicis, aeque ac stillicidiis, sed violentius, nervorum cutaneorum irritabilitatem suscitari, vitamque infractam intendi, quibus etiam fieri videtur, ut confestim post balneum partes laborantes facilius moveantur, sensationumque capaciores reddantur. Balnei vaporosi virtutem magis minusve a frictionibus illis pendere, ex usu balneorum communium satis liquet. Nullus dubito, eundem caloris gradum, quem supra memoravimus, corpori per haec balnea sensim sensimque conciliari posse, neque tamen effectum eundem ac vaporum fore existimo, etiamsi corpus sudore diffluat. Nonne saepissime aquas diversimodi paratas pro balneis adversus vitia supra recensita frustra administrari videmus? Nonne vero vapores cum frictionibus consociati, ne dicam radicalem sanationem, tamen levamenti aliquid semper inducunt?

Pericula etiam, cum in aliis tum in me ipso instituta, mihi persuaserunt, balnea vaporosa citra fric-

tionem longe minorem efficaciam praestare. Etenim horis quatuor aut sex elapsis post balnea frictionibus nupta, sedimentum copiosum urinae lateritium animadverti, quod morbo decrescente imminuebatur, et quod prius quidem diebus criticis, sed multo exilius apparuit, postea ex toto abfuit. Neque minus sedimentum deficere consuevit frictionibus omissis, his vero ad finem balnei administratis satis copiosum deiiciebatur.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego, Joannes Christophorus Wittzack, confessioni evangelicae addictus, die undecimo mensis Maii, anno millesimo septingentesimo nonagesimo sexto Doesselii in circulo solano natus sum parentibus optimis, quos autem decimo aetatis anno praematura morte mihi ereptos lugeo.

Ad annum usque decimum quintum in schola, quae in Oppido Wettino est, litterarum elementis instructus sum.

Anno MDCCCXIII. Berolinum me contuli, ubi ut Illustrissimo Knapio per duo semestria famulus adiungeres, mihi contigit. Eodem anno, bello Borussos inter Gallosque conflato, munus chirurgi subii.

Bello ad finem vergente, mense Januarii ex Franco-Gallia redux anno MDCCCXIV in numerum alumnorum academiae militaris medico-chirurgicae Berolinensis receptus, annoque sequente bello redintegrato, munere chirurgi in me collato, rursus exercitum secutus sum.

Post illud studiorum meorum intervallum, sub finem anni dicti Berolinum redii, et denuo per sex semestria litteris colendis operam navavi.

Durante studiorum meorum tempore, ut publicas praelectiones omittam, hisce privatis interesse contigit.

De Hodegetice, Logice, Mathesi, et Psychologia Beat. Kiesewetter; de Botanice, Historia naturali atque Pharmacologia Illust. Link, de Pharmacia, Chemia experimentali et Physice Cel. Turte audivi.

In omnibus, quae ad Anatomiam pertinent disciplinis, Illustr. Knape atque Rudolphi, in Physiologia Illustr. Rudolphi et Cel. Osann, in Medicina forensi Illustr. Knape, de arte formulas conscribendi medicas Cel. Wolfart mihi praeceptores fuerunt; materiam medicam Cel. Osann, Pathologiam tum generalem, tum specialem nec non semioticen Cel. Fr. Hufeland, Pathologiam, nec non Therapiam specialem Ill. Horn, Therapiam Perillustr. Chr. Hufeland mihi tradiderunt.

In Chirurgicis Beat. Mursinna, Ill. Graefe, Ill. Rust, Cel. Kluge et Experient. Jüngken, nec non in ophthalmiatricis me instituerunt.

In arte Obstetritia tum theoreticā tum practica Beat: Mursinna et Cel. Kluge mihi duces exstiterunt.

Item clinicis interfui exercitationibus medico-chi-

..urgicis virorum Illustrissimorum Hufeland, Horn, Rust, Neumann, Kluge.

Cursu academico rite absoluto, nosocomium Berolinense, cui caritatis nomen est, adii, exercitationibus utriusque medicinae practicae per menses sedecim operam navaturus, quibus peractis legioni cuidam militari adscriptus sum.

Tentamine et rigoroso examine coram gratioso medicorum ordine rite exantlatis, conscriptaque dissertatione inaugurali, fore spero, ut summi in utraque medicina honores per Decanum maxime Spectabilem in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Causa rheumatismi proxima est affectio nervorum inflammatoria.

II.

Causam arthritidis in inflammatione membranarum articularium positam esse existimo.

III.

Omnia vasa ad hepar spectantia aliquid ad parandam bilem valere contendo.

IV.

Icterus nuper natorum balneis tepidis curandus.

V.

Cataractae extractio neque depressioni, neque haec illi semper praeferenda est.